UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Bonum

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

in integrum reſtituere impoſſibile eſſe:alius verò: nec ipſe Chriſtus id præſtare poſſet. Ad has voces ſtatim gallus ipſe proſilijt, & alis colliſis iuſculum in diſcumbentium ora affudit. Blaſphemi lepra ſtatim hæreditaria puniti ſunt. *Vincentius libro 25.cap.64.*

Vide Juramentum, Juſiurandum, Impietas.

Bonum, Bonitas.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

BONVM, Græcè ἀγαθὸν,οῦ,τὸ,& χρηστὸν,οῦ,τὸ,dicitur.Et eſt id,quod opponitur malo: eſtq; nomen generale,& honeſta ſimul,atq; vtilia complectens,vt bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Hinc ſi bonum virum dicimus, probum ſignificamus: ſi bonum militem, fortem: ſi bonum imperatorem, prudentem: ſi bonum grammaticum,literatum: ſi bonum oratorem,facundum: ſi bonum iudicem,iuſtum: ſi bonum mercatorem, diuitem: ſi bonam faciem,pulchram. Sic è conuerſo malum generale nomen eſt, & turpia ſimul,& detrimentoſa complectens. Vnde malum virum dicimus,flagitioſum. malum militem,imbecillum: malum imperatorem,imprudentem: malum grammaticũ,rudem: malum oratorem,infacundum: malum iudicem,iniquum: malum mercatorem,inopem: malam faciem,deformem.

Bonum ſummum, eſt animi operatio ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam in vita perfecta, *ſecundum Ariſtotelem libro 1. Rhetoricorum.*

Bonum eſt, quod ſuiipſius gratia eſt expetendum. *ſecundum lib. 1. Rhetoricorum.*

Bonitas, Græcè ἀγαθοσύνη,ης,ἡ: & ἀγαθότης,τητος,ἡ: & ἀγαθὸς,οῦ,ὁ, bonus, vnde benignus dicitur, id eſt, liberalis, beneficus, clemens. Quare benignam terram appellamus, fructus abundè ferentem. Plinius de Ægypto: Nulla eſt benignior tellus,nullus ager feracior. Inde benignitas,liberalitas,atque clementia.

Bonitas bonum eſt, quo mentes nulla quatiuntur perturbatione, ita à natura inſtructæ, vt mali nihil cogitent, aut etiam nolint, confingere neſciunt: Cuius contrarium malitia, vel vt græco vtar verbo, δόλος.

Bonorum appellatio aut ciuilis,aut naturalis eſt. Bona ex naturali ſignificatione,omnia comprehendunt, quæ proſunt. Ex ciuili ad facultates tantum referuntur. Hinc diſtinctio bonorum corporis,& animi,apud Philoſophos. *Alciatus tit.de Verb.ſign. L. Bonorum appellatione.*

Bonum, Hebr. *Tob*: Bonitas, *Tub*, & *Tobah*, à verbo *Tob*, Bonus, pulcher, iucundus, vtilis, amabilis, ſuauis, delicioſus fuit. Nomine *Tob* autem Hebrei intelligunt,quicquid bonum,pulchrum,lætum, vtile & beatum eſt, & quidem perfectè bonum, ſi de Deo vero intelligitur. Græc. ἀγαθὸν à *Tob* fluxiſſe videtur. *Bon, Bonte,* Galli dicunt,à *Tob*,literis inuerſis, *Bot, Bon.* Vide Etymologicon trilingue Lugduni editum Anno 1607. apud Antonium de Harſy, pag. 138. & 139. vbi multa obſeruatu digna de Bono & Bonitate.

¶ LOCI BIBLICI.

Summum bonum, *Pſalm.*16.11. Bonum ſectandum, *Pſal.*34.14. & 37.27. *Eſai.*1.18. *Amos* 5.v.14.15 *Rom.*12.9. *Gal.*4.18. 1.*Theſſ.*5. *v.*15. 21. *Iac.*4.17. 1.*Pet.*3.11.3. *Ioan.*v.11. Bonum non ſemper opponitur vitio,vt patet ex 1. *Corinth.*7.1. vbi ſignificat idem quod commodum & expediens, vt declarat *v.*35. Bonum non habitat in carne noſtra, *Rom.*7.18.2. *Cor.*3.5. Boni interdum ob malos plectuntur, *Ioſ.*7.*v.*12. Boni pro malis non puniendi, *Deut.*24.*v.*10. *Ezech.*18.*v.*26. Bonus Deus ſolus. *Matth.*19.17. *Marc.*10.18. *Luc.*18.19.

Bonorum ordo triplex: ſunt enim bona { 1. *Animi.* 2. *Corporis.* 3. *Fortunæ.* }

¶ SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Amen dico vobis, niſi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. *Matth.c.*18. *Luc.*9.

Videte, ne cuiquam quis malum pro malo reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, perſequamini. *Paul.*1. *ad Theſſ.*5.

Simplex credit omni dicto: quamdiu ſimplices iuſtitiæ adhærebunt,non afficientur pudore. *Prouerb.*14.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua, te precante, diſſoluentur. *Eccleſ.*28.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

Virtutes quibus viuitur rectè, magna bona ſunt. Species autem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè viui poteſt, media bona ſunt. *Aug. de lib. Arb.*

Neque accepta duo ſunt bona, quæ ante oculos eius malorum admiſtione maculantur. *Gregor. in Moral.*

Illa eſt vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Q
cens? qui cum alijs non nocet, nec ſibi nocet. Qu
nocet,non eſt innocens. *Auguſt. ſuper Pſalmos.*

Innocens inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ bo
malignantes, cum de pœna metuit, de innocentia glo
broſ. ad Demetriadem.

Gaude de innocentia & exulta, gaude, inquam, quia
ſa eſt, vbique ſecura. Si tentaris, proficis: ſi humiliaris
pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris. Tu in ſeruitute
periculo tuta, in cuſtodia læta: tibi omnis reatus ab
uerſa militia ſubiugatur: te potentes honorant, ſuſpi
pes, magnates exquirunt, & illi nonnunquam te deſide
pugnant: tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli
cumbunt, nec vmquam puteris victrix non eſſe, etiam
mines iuſtus defuerit. *Chryſoſt. in Homilijs.*

Simplicitas minimè omnium ſuſpicax eſt malorum.
Malus quàm citiſſimè condemnat bonum: Bonus au
lum quidem facilè: nam qui ad mala non eſt promptu
ſpicionem quidem facilis eſt. *Ex vitis Patrum.*

Ingenium expers militiæ, tardius quoque ſuſpicatur.
inimicum in manus tuas incidiſſe, noli putare tempu
tionis, ſed ſalutis: itaque tum maximè parcendum eſt
in noſtra fuerint poteſtate. Si tibi quis moleſtus fuerit
ne ſis moleſtus, alioqui illi ſimilis fueris. Nemo malum
ſed bono malum. *Chryſoſtomus.*

Puritas innocentiæ conſeruata, fons eſt & origo omni
virtutis. *Hugo.*

¶ POETICÆ SENTENTIÆ.

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ.
Nullus bonus exiſtens malum facinus committit.

Idem.

ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.
Quam iucunda res eſt, bonitas prudentia comm

Theognis.

Κύρν᾽ ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
Τολμᾷ δ᾽ ἔν τ᾽ ἀγαθοῖς κείμενος, ἔν τε κακοῖς.
O Cyrne, vir quidem bonus animum ſemper hab
tem,
Et animoſus eſt tum in malis, tum in bonis con

Sophocles in Electra.

Οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχύνει θέλ
Nullus bonorum malè viuendo bonam de ſe fam
ſtare vult.

Menander.

ὁ χρηστός ἐστι πολλαχοῦ σωτήριος.
Vir bonus multis in locis ſalutaris.

Idem in Pallade.

Κἂν ταῖς ἀπορίαις ἐσθ᾽ ὁ χρηστὸς χρήσιμος.
Et in rebus perplexis, vir bonus vtilis eſt.

Idem in Homopatrijs.

Εἰς πάντα καιρὸν, καὶ τύχης ῥοπὴν πᾶσαν,
Τῶν χρηστῶν ἔχει τὴν ἐπιμέλειαν καὶ θεός.
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ,
Bonorum curam ſuſcipit etiam Deus.
Νὴ τὴν Ἀθηνᾶν μακάριον ἡ χρηστότης
Πρὸς πάντα, καὶ θαυμαστὸν ἐφόδιον βίῳ.
Beata res eſt bonitas per Mineruam
Vbique & mirum vitæ viaticum.

Pindarus.

Alienis aperire noli,
Quidnam laboris nos exerceat.
Hoc te admonitum volo. Bonarum quidem rerum
Sortem & iucundarum, coram oportet
Toti populo declarare:
At ſi qua diuinitus grauior contigerit
Hominibus fortuna,
Eam abſcondere conuenit.

Sophocles.

Ne multis euulges præſentem fortunam;
Nam ſi taceatur, lugeri poteſt amplius.

Euripides.

Palam enim ſortem ſuam teſtari
Apud omnes, imperiti hominis eſt: celare verò
Dolorificum eſt quidem, in turpe damnum a
dere,
At ſi fiat, comprimendum eſt ſcite
Abſcondendo, nec omnibus enunciandum.
Huiuſmodi enim gaudium hoſtibus, & riſum m
Sapientes ſua celant mala.
Bonus eſt, qui leges, & patrum ſtatuta ſeruat.

Horat. lib. 1. Epiſt.

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraq; ſeruat.

Terent. Hec.

Namq; eo pacto maximè apud te meo erit ingeni
Cum illa quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me

Martialis 10.

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus, hoc eſt
Viuere bis, vita poſſe priore frui.

Horat. Epiſt. 16.

Tu recte viuis, ſi curas eſſe, quod audis.
Iactamus iam pridem omnes te Roma beatum.

Idem. ibidem.

Vir bonus & ſapiens audebit dicere Penthen
Rector Thebarum, quid me perferre, patiq́;
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum, tollas licet in manicis, &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus ſimulatq́; volam, me ſoluet opinor.
Hoc ſentit, moriar, mors vltima linea rerum eſt.

Martialis 11.

Tanta tibi eſt recti reuerentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: ſed Numa pauper erat.
Ardua res hæc eſt opibus non tradere mores:
Et cum tot Cræſos viceris, eſſe Numam.

Hor. 1. Epiſt. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Hor. 1. Serm. 4.

Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci male, cumq́; libellis,
Magnus vterq́; timor latronibus, at bene ſi quis,
Et viuat puris manibus, contemnat vtrumq́;.

Plaut. Capt.

Bene merenti, bene profuerit: male merenti, par erit.

Plaut. Trin.

Boni ſibi hæc expetunt: rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam: hoc probis pretium eſt.

Virgilius in viro bono.

Vir bonus & ſapiens, qualem vix repperit vllum,
Millibus è multis hominum, conſultus Apollo.

Iuuenal. 3.

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ vel diuitis oſtia Nili.

Sen. Herc.

Sontibus parent boni.
Ius eſt in armis: opprimit leges timor.

Ouid. 1. Faſt.

Laudamus veteres: ſed noſtris vtimur annis.

Virg. in viro bono.

Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad vnguem,
Quid proceres, vaniq́; ferat quid opinio vulgi
Securus: mundi inſtar habens, teres atq́; rotundus.
Externæ ne quid labis per leuia ſidat.
Ille dies quam longus erit ſub ſidere Cancri.
Quantaq́; nox tropico ſe porrigit in Capricorno,
Cogitat, & iuſto trutinæ ſe examine penſat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus vt coeat? nil vt deliret amuſſis:
Sit ſolidum quodcunq́; ſubeſt: nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus,
Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei,
Quo prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi:
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit?
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem:
Cur aliquem fracta perpenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret: vtile honeſto
Cur malus antetuli: num dicto, aut deniq́; vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit? ſic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq́; a veſpere cuncta reuoluens,
Offenſus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Boet. 3, 12.

Vos hæc fabula reſpicit,
Quicunq́; in ſuperum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui Tartareum in ſpecus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit.
Perdit, dum videt inferos.

Paul. Auſon. Epiſt. 11.

Quid enim tenere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent ſummum caput
Veri, boniq́; fomitem, & fontem Deum?

Bias per Auſon.

Quænam ſumma boni? mens, quæ ſibi conſcia recti.

Plaut. Capt.

Tum deniq́; homines noſtra intelligimus bona,
Cum, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Ouid. 2. Amor. 6.

Optima prima fere manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora ſuis.

Ouid. 7. Met.

Di meliora velint: quanquam non iſta precanda
Sed facienda mihi.

Tibul. 1. 4.

At ſi tardus eris, errabis, tranſiet ætas,
Quam cito, non ſegnis ſtat, remeatq́; dies:
Quam cito purpureos deperdit terra colores:
Quam cito formoſas populus alta comas: &c.
Vidi iam iuuenem premeret cum ſerior ætas,
Mærentem ſtultos præteriiſſe dies.

Martial. 2.

Non bene diſtuleris, videas quod poſſe negari,
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.
Exſpectant curæq́;, catenatiq́; labores,
Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant.
Hæc vtraq́; manu, complexuq́; aſſere toto:
Sæpe fluunt imo ſic quoq́; lapſa ſinu.
Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere viuam,
Sera nimis vita eſt craſtina: viue hodie.

Iuuenal. 10.

Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus vſq́;
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona atq́; illis multum diuerſa, remota
Erroris nebula. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pæniteat, votiq́; peracti?

Horat. 1. Epiſt. 11.

Tu quamcumq́; Deus tibi fortunauerit horam,
Grata ſume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt, quocunq́; loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas.

Iacob. Bill. in Anth. ſacr.

Cum Deus exerta peccantes verberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miſeris ipſa flagella ferunt.
Et vindicta breuis ſic noxia crimina finit,
Ne ſine fine habeat debita pæna reos.

Menander.

ἀνὴρ δὲ χρηστὸς χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτέ. id eſt.
Vir autem bonus bonum non odit vnquam.
γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται.
Mentis enim bonæ vir opera bona facit.
ζήλου τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα.
Imitare bonum virum & ſapientem.

Leonides.

αἰεὶ δ' ἀγαθὸς ἐστ' ἀγαθός.
Semper autem bonus, eſt bonus.

Ex 3. Epigramm.

Τῶν ἀγαθῶν οὐ δεχόμεθα κόρον.
Bonorum non capimus ſatietatem.

Horat. Oda 22. l. 1.

Integer vitæ ſceleriſq́; purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce, pharetra.
Siue per Syrteis iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Ouid. lib. 5. Triſt. eleg. 5.

Nec fore perpetuam ſperat ſibi numinis iram
Conſcius in culpa non ſcelus eſſe ſua.

Ouid. 4. Faſt.

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba ſumus.

Terent. in Heauton.

Hæc perinde ſunt vt illius animus qui ea poſſidet:
Qui vti ſcit ei bona: illi qui non recte vtitur, mala.

¶ PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Bonum dicimus quod non alterius, ſed ſui ipſius gratia eſt expetibile: & quod appetunt omnes: & quod quæcunque mentem & prudentiam habent, expeterent: & efficiens, & conſeruans, vel id ad quod hæc conſequuntur. *Ariſtot. lib. 1. Rhetoric. ad Theodect. c. 7.*

Bonum & malum qualitatem in iis quæ animata ſunt, maxime indicant: atq; eorum in iis maxime quæ ſui iudicii gerit quodammodo. *ibidem.*

Malum recens, & exiguum contemnitur: cum autem conualuit, vireſque ſumſit, videtur ab omnibus. *libr. 6. de Republ. capit. 4.*

Sit bonum quod ſui ipſius gratia eſt expetendum: & id cuius gratia aliud quiddam appetimus: & quod omnia appetunt: vel

quæ ſenſum habent omnia vel quæ intellectum habent, aut ſi haberent. Et quicquid intellectus vnicuique tribuerit: & quicquid qui de ſingulis eſt, intellectus tribuit: id vnicuique bonum eſt: & id quod cum adſit, bene afficitur cui adeſt: ſatisque habet, & ſufficiens per ſe ipſum: præterea quod hæc efficit aut conſeruat: & id quod hæc ſequuntur contraria: & quæ corrumpunt. *l.1. Rhethor. ad Theod. c.6.*

Multorum & cognitionis & motus principium bonum eſt & malum. *l. δ.4. Methaph. c. T.1.*

Ea quidem per ſe bona quiuis ponat, quæ ſola & ſeiuncta à cæteris ſequatur: vt ſapere, vt videre, vt ſunt nonnullæ voluptates, vt honores. Etſi enim hæc ipſa propter aliquid aliud ſequimur: tamen in iis quæ per ſe bona ſunt licet ponere: aut nihil præter Ideam ſit in bonis *l.1. Eth. c.6.*

Bonum & in ſubſtantia dicitur, & in qualitate, & in iis quæ cum aliquo conferuntur: quæque per ſe ipſa ſunt: & ſubſtantia iis ſunt quæ cum aliquo comparantur naturæ ordine priora. *Ethic. lib.1. cap.6.*

Quoniam id quod mouet, duplex eſt, quorum vnum immobile eſt, alterum quod mouet & mouetur: bonum quidem quod agendum eſt, immobile permanet. *lib.3. de Animo. cap.10. T.54.*

Mala quorum fortuna eſt cauſa, hæc ſunt: ſi neminem habeas amicum, aut quam pauciſſimos: quare diuelli quoque à ſociis atque amicis miſerabile eſt, *libro 2. Rhetoric. ad Theodect. cap.8.*

Id mouet ſemper quod appetendum eſt, idque ipſum vel bonum eſt, vel quod bonum videtur: nec omne bonum, ſed quod agendum eſt. Agendum porro bonum eſt, id eſt, quod ſecus etiam cadere poteſt. *l.3. de Animo, c.10. T.51.*

Bonum omnis originis & ortus finis eſt. *Metaph. lib. α. 1. maiore. cap.13.*

Bonum dicitur quod opportune fit & in tempore. *Top. libr.1. capit.3.*

Si quod vnum eſt bonum, quod communiter dicatur: aut ſi quod eſt ſeiunctum ipſum per ſe: perſpicuum eſt id, nec agi ab homine poſſe, nec haberi. *lib.1. Ethic. c.6.*

Duo ſunt bonorum genera: aliud propter ſe: aliud propter illa. *l.1. Ethic. c.6.*

Quod propter ſe expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur perfectius: & quod nunquam alio refertur: iis omnibus quæ propter ſe, & propter hoc expetuntur, *Ethic. lib.1. cap.7.*

Quod bonum vndique perfectum eſt, omne ſatis eſſe, & ſufficere videtur. *ibidem.*

Bonorum præſtantia, acceſſione eius quod additur ad aliud, exiſtit: & maximum quodque bonum ſemper expetendum eſt maxime. *ibidem.*

Duplex bonum eſt: alterum quod abſolute & per ſe bonum ſit: alterum quod alicui bono ſit & vſui. *Ethic. l.7. c.12.*

Bonorum aliud eſt actio: aliud habitus eſt. *ibid.*

In omnibus bonum principium eſt maxime. *Metaph. l. λ. 11. ca. 10. T.54.*

Probe veteres ſummum bonum definierunt id, ad quod omnia referuntur, *Ethic. l.1. c.1.*

Vbi eſt melius & deterius: ſemper id quod præſtat, primas tenet. *Metaph. l. β. 2. c.3. T.11.*

Poteſt illud ipſum quod bonum eſt, falſa ratione collectum obtineri: & ad id quod faciendum eſt, non qua ratione æquum eſt, ſed falſa via media perueniri. *Ethic. l.6. c.9.*

Dicitur vnum genus bonorum quæ per ſe expetuntur & amantur. Conficientia vero eorum aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliqua ratione bona nominantur. *Ethic. l.11. c.6.*

Leuius malum ſpeciem quandam fert boni, ſi cum maiore conferatur. Eſt enim minus malum potius quam maius eligendum. Quod autem eligendum eſt: id bonum eſt: quod potius eligendum eſt, id etiam maius bonum. *Ethic. l.5. c.3.*

Peccare licet multis modis: quoniam vt Pythagorei conticiebant, malum infinitum incertumque eſt: bonum certum atq; finitum. At vero recte facere vno modo licet. Itaque illud facile: hoc difficile. Nam & à ſigno diſcedere facile eſt: & ipſum attingere magni negocii. *Ethic. l.2. c.6.*

Malum etiam non habere iucundum eſt. *libr.1. Rhetoric. ad Theodect. c.11.*

Malum pro malo reddere iuſtum eſt: & iuſtum omne laudabile. *l.1. Rhetor. ad Theodect. c.9.*

Et Deus poteſt: & vir bonus quæ mala ſunt efficere: cum interim non ſint eiuſmodi. *Top. l.4. c.5. l.55.*

Cuius contrarium malum eſt, & cuius contrarium inimicis conducit: id bonum eſt. *lib.1. Rhet. ad Theod. c.6.*

Diuturniora quidem anteponenda ſunt breuioribus: & quæ prudentes anteponant ii, qui in aliqua re excellunt: hoc ipſo quod tales ſunt, aut quæ ii, qui vno quoque genere ſcientes ſunt, aut quæ plures, aut etiam omnes. *lib.3. Topicor. c.1. l.10.*

Ea quæ per ſe ſunt cauſæ malorum poſtponen[…] ſu & fortuito: vt vitium fugiendum eſt potius, quam [...] enim per ſe malorum eſt, hæc caſu. *ibid. loc.7.*

Et quæ omnino bona ſunt, iis anteponuntur [...] na ſunt: vt valere quam ſecari magis optandum [...] illud omnino bonum eſt, hoc alicui qui ſectione [...] ta ac inſita bona aſſumtis & aduentitiis, vt iuſti[...] quoniam illa inſita eſt & innata: illud aduentit[...] re meliore inſunt: & quæ iuſtiorem habent vene[...] quæ in deteriore: vt bona Dei, hominis bonis: & [...] poris bonis ſunt anteponenda: & quæ propria [...] rei, iis quæ deterioris: vt Dei quam hominis, [...] *ſeqq.*

Cum per ſe malum omne labefactat: tum ſi integ[...] rabile exiſtit. *lib.4. Ethic c.5.*

Malum multiplex eſt: bonum contra ſimplex. *l.* [...] *cap.24.*

Adeptionem bonorum euitatio comitatur malo[...] tionem malorum conſequitur viciſſim adeptio boni [...] *cap.6.*

Aliqui bona appetunt homines, ac perſequuntur [...] optare debent potius, quæ vere bona ſunt: ea ſibi [...] autem ſequi quæ ſibi bona ſint. *Ethic. l.5. c.1.*

Quod ei contrarium eſt quod fugiendum ſit, [...] dum eſt atque malum: omne id bonum. *libro ſeptim[...] cap.13.*

In eo vis maxima eſt ad virtutem, quæ more pe[...] bonis rebus lætetur, doleatque contrariis. *libro* [...] *cap.2.*

Quicquid bonum eſt, omne coniunctum cum [...] eſt, & magis expetendum, quam ipſum ſeparatum [...] *cap.2.*

Omnes ad id quod bonum videtur, omnes ſua [...] runt. *l.1. de Republ. c.1.*

Bonum ſemper in actione cernitur: pulchrum [...] iam in iis quæ ab omni motu libera ſunt. *lib. μ. Me[...] pit.3.*

Quod rectum & honeſtum, & cum virtute eſt, id [...] bonum. *Parad.1 Cic.*

Tria ſunt genera bonorum: maxima animi: ſecund[...] externa tertia. *3. Tuſc.*

Alia ſunt in homine optanda, alia laudanda. Genu[...] opes, diuitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinſec[...] pori, non habent in ſe veram laudem: quæ deberi virtu[...] tatur, ſed tantum quod ipſa virtus in earum rerum [...] tione maxime cernitur. *2. de Orat.*

Nihil bonum, niſi quod honeſtum: nihil malum, [...] pe. *Cic. At. lib.10.*

Quicquid eſt quod bonum ſit, id expetendum eſt: [...] expetendum, id certe approbandum: quod vero approba[...] tum, acceptumque habendum. *5. Tuſc.*

Non ſunt dicenda bona illa, quibus abundantem [...] ſerrimum. *Parad.1.*

Bona non ſunt, quæ quis habeat, & miſerrimus [...] *Tuſc.*

Nec bonum eſt aliud, quod aut cupias ardenter, au[...] efferas inſolenter. *4. Tuſc.*

Diuitias, quia quiuis, quamuis indignus, habere po[...] non numero. *2. Tuſc.*

Neque pecuniæ, neque tecta magnifica, neque op[...] peria, neque eæ, quibus maxime aſtricti ſint, voluptat[...] bus expetendis numerandæ ſunt: quippe homines iis [...] tes, ea deſiderant maxime quibus abundant. *Par.1.*

Non naſcitur ex bono malum, non magis quam [...] ad ſemen nata reſpondent, bona denegare non poteſt [...] *epiſt.*

Non eſt bonitas, peſſimis eſſe meliorem. *Sen.21.*

Boni paucis legibus indigent: non enim res pon[...] ſed contra, leges ſecundum res ipſas feruntur. *Theophraſt.*

Probum eſſe res eſt multis pecuniis vtilior. *Demoſt.*

Bonum aut eſſe oportet aut ſimulare. *Democritus.*

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non [...] *Nilus.*

At vero, ſi quis velit complicatam animi ſui notionem [...] iam ſe ipſe docebit, eum bonum virum eſſe, qui proſit [...] ſit, noceat nemini niſi laceſſitus iniuria. *Cic. l.3. de Off.*

Οἱ ἀγαθοὶ δυσεύρετον χρῆμα, καὶ πρὸ πολλοῦ ἐκλιπόντες [...] ὅσπερ οὐδὲ ὁ λυγκεὺς ἂν ἐξεύροι ῥαδίως, ἀμαυρὸν οὕτω καὶ [...] οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι εἰσίν.

Boni poſſeſſio eſt, quæ haud facile inueniri poteſt, [...] dudum è vita conceſſerit. Adeo obſcura atque puſilla, [...] Lynceus vix dum inueniat. Sunt enim boni perpauci. *Luc[...] Timone.*

Vir bonus cito nec fieri nec intelligi poteſt, [...]

ſic tanquam Phœnix anno quingenteſimo naſcitur. Nec eſt
..., ex interuallo magna generat: mediocria, & in turbam na-
... ſæpe fortuna producit; ſed qui ſciret, quid eſſet vir bonus,
... ſe eſſe credere: fortaſſe etiam fieri poſſe deſperaret. *Senec.*
epiſt.

Bonarum rerum etſi ſucceſſus non fuerit, conatus ipſe hone-
... eſt, bona nemini eſt hora, ſi non alicui ſit male. *Idem in Prou.*
A bonis bona perdiſces. Quod ſi malis adhæſeris, quam habes
... etiam, proculdubio perdes.

Mulieres quoque, o Meno, bonos viros diuinos nuncupant. Et
Laconici quoties bonum quemdam virum commendare volunt,
... ſit, aiunt. *Plato in Men.*

Bonum virum decet ſacrificare diis, intereſſe diuinis: nempe il-
... proſequi orationibus, muneribus, alioque cultu diuino. pul-
... optimum, commodiſſimum ad vitam beatam: idque
... eſt decorum. Malo contra contingunt omnia. Impurus
... eſt animus, boni autem purus: ab impuro autem capere
munera, neque bonum virum, neque Deum decet. *Dialog. 4. de*
...

¶ Apophthegmata.

Pittacus, perdifficile (inquit) eſt bonum eſſe. Dicente autem Pho-
..., quærendum eſſe ſtudioſum ac frugi virum. Etiam, inquit, ſi
... quæſieris, non inuenies. *Bruſ. l. 1. c. 18.*

... probitatem morum habere debes, quæ plus fidei mereatur
... iuſiurandum. *Stob. ſerm. 35.*

Socrates dicebat, ad gloriam compendiaria via peruenire poſſe
... qui tales eſſent, quales videri vellent. *Bruſ. l. 1. c. 18.*

Antiſthenes, dicebat ſatius eſſe cum paucis bonis pugnare ad-
uerſus omnes malos, quam cum multis malis aduerſus paucos bo-
nos. Præſtat enim de numero bonorum eſſe, quorum vbique rari-
tas, quam de grege malorum, quorum vbiq; plena ſunt omnia.
... *l. 5. c. 1.*

... dicere ſolebat, Bonum virum moleſtam eſſe ſarcinam. Nam
... inſipientia bene fertur, & leuiter: ſic prudentia grauiter incum-
... premit vehementer ſuopte pondere, ne facile poteſt excuti.
... *eodem libro, Quod omnis probus liber.*

Diogenes, bonos viros dicebat eſſe deorum ſimulachra. Deorum,
... ſunt optimi, naturæ proprium eſt benefacere omnibus, noce-
re nemini. Hæc imago melius relucet in ſapientibus ac bonis viris,
... in ſtatuis, cum dii ſint incorporei. *Laert. lib. 6.*

... cuidam percontanti in qua parte Græciæ vidiſſet bonos vi-
ros, ait, nuſquam, ſed Lacedæmone vidi pueros. Notans to-
tius Græciæ corruptiſſimos mores, adeo vt apud Lacedæmonios
... incorruptiſſimam tantum in pueris reſideret priſca inte-
... Simul illud innuit, in reliqua Græcia ne pueros quidem
bonos, tum illud, viros eſſe pueris deteriores, quum ab his o-
... pueros ad probitatem inſtitui. *Diogenes Laert. 16. Bruſ lib.*
...

... peregrinum quendam conſpiciens, ſeſe ſtudioſe ad fe-
ſtum diem componentem: Quid facis, inquit? an non quilibet dies
bono feſtus eſt? Senſit vir prudentiſſimus, hunc mundum eſ-
ſe templum Deo dignum, in quo vir bonus conſtitutus, ſemper be-
ne, honeſtè & piè, quaſi in conſpectu numinis, viuit. *Laert. libr. 6.*

Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita? Vir
bonus (reſpondit) & moderatus: quoniam etſi inter multos impro-
bos verſatur, non tamen peruertitur. *Stob. ſerm. 35.*

Themiſtocles prædium vendens, præconem diuulgare iuſſit, quod
... quoq; bonum haberet. non parum enim refert quam bo-
num virum tibi vicinum habeas. *Stob. ſerm. 35.*

Phocion centum talenta Alexander quum ei dono miſiſſet, adſe-
... interrogauit: Quam ob rem ex tanto Athenienſium nume-
ro ſibi ſoli ea mitteret? Illi reſponderunt, Quoniam ſolum ipſum
... æſtimaret bonum eſſe virum. Quin igitur, dixit, me poſthac
... bonum eſſe permittat, & pecuniam remiſit. Senſit autem
... boni viri eſſe ſubire famæ periculum ob acceptata munera.
... *ſerm. 35.*

Lycurgus dicebat, dignitatem quidem iſtam, qua mouemur ad
... mutuo dandum aliquid, in opibus hominum ſitam eſſe. Il-
lam vero, quæ nos ad facilius fidem habendam inducit, in moribus,
... enim bonus vbique nouit quid deceat, quidque expediat, quid
... quid ſit honeſtum. *Stob. ſer. 35.*

Ariſtoteles, rogatus à quodam improbo, aliquid pecuniæ ei de-
..., propter quod reprehenſus à quodam, vt qui homini nequam
dediſſet: non homini, dixit, ſed humanitati. *Stob. ibidem.*

Anonymus, ſcurra quidam cum vidiſſet principum indigna & ne-
... facinora, dixit: In vno annulo bonos principes omnes ſculpi
poſſe. Sentiens eſſe quidem magnum imperatorum numerum, ſed
... perpaucos eſſe bonos. *Recitat Vopiſ. in Aurelio.*

¶ Similitudines.

Sicut nec in victimis quidem, licet optimæ ſint, auroque præ-
fulgeant, deorum eſt honos, ſed pia ac recta voluntate veneran-
tium: ita boni etiam farre ac fictili religioſi ſunt: mali rurſus non
effugiunt impietatem, quamuis aras multo ſanguine cruentaue-
rint. *Sen. l. 1. de benef. c. 6.*

Vt ſcarabæi ac vultures offenduntur vnguentis, & Scytha iurauit
ſe malle equum hinnientem audire quam Citharœdum canentem:
Ita non omnibus placenr optima. *Plut.*

Vt Phœnix non niſi quingenteſimo anno naſcitur: Ita inſignium
virorum rarus eſt prouentus. *Sen.*

Qui ſibi comparatione deteriorum bonus videtur, perinde eſt
ac ſi quis claudos reſpiciens, ſuam miretur velocitatem. *Se-*
neca.

Vt Zeuſis picturus Iunonem, Agrigentinis omnibus virginibus
inſpectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus, quod eſſet in vna-
quaque præcipuum, imitaretur: ita è plurimis optimi bonis ad ex-
emplum vitæ aut dicendi proponendi ſunt, nec in his tamen red-
denda ſint omnia, ſed optima. *Eraſ.*

Non continuo melior gubernator, cui pulchrius aut maius ſit
nauigium: ita non eſt melior vir, cui fortuna ſplendidior. *Senec.*

Vt hiſtrio non eſt fœlicior, quod in ſcenis adornatus, rex aut Deus
videatur: ſic nec homo fortunæ bonis: quandoquidem ſuis bonis
æſtimatus, nihil eſt. *idem.*

¶ Biblica Exempla.

Bonorum inter malos latentium exempla: Noe cum domo ſua
inter filios Dei à filiabus hominum corruptos, & diluuio abſorptos
Gen. 6. 9. & 7. 7. Loth inter Sodomitas peſſimos 13. *v.* 11. 13. Abra-
ham inter Chananæos *v.* 12. Ioſeph inter Ægyptios 3. 9. *v.* 7. 8. Sa-
muel inter peruerſos & impios Heli filios. 1. *Sam.* 2. *v.* 25. 26. Elias
cum ſeptem millibus virorum inter Iſraelitas idololatras 1. *Reg.* 19.
v. 9. 10. 8. *Rom* 11. *v.* 45. Tobias inter captiuos ſub regno Samariæ,
Tob. 1. *v.* 2 3 Mardochæus inter ſeruos Aſſueri *Eſth.* 3. 2. Iob inter gen-
tiles *Iob.* 1. 1. Ieremias inter concaptiuos *Ier.* 43. *v.* 2. 3. 4. Ezechiel in-
ter Scorpiones, *Ezech.* 26. Daniel, Sidrach, Miſach, Abdenago inter
idololatras. *Dan.* 3. *v.* 16. 17. & 6. 10. Mathathias & filii eius inter A-
poſtatas & idololatras 1. *Machab.* 2. *v.* 19 20. Centurio inter Iſraeli-
tas, *Matth.* 8. 10. Ioſeph. Arimathæus inter Iudæos, *Marc.* 15. 34. Ni-
codemus inter Phariſæos, *Ioan.* 3. *v.* 12. & 19. 39. Cornelius centurio
inter gentes, *Act.* 10. *v.* 1. 2.

Bona opera pietaſque in Deum vera commendatur, *Exod.* 19.
5. & 20. 21. &c. & 23. *verſ.* 19. 25. *Deuter.* 5. *v.* 6. 11. 16. & 10. 12. *Ioſ.* 22. 5.
1. *Sam.* 15. 22. *Pſalm.* 2. 10. & 40. 7. & 50. 14. *Prouerb.* 3. 1. & 14. 31. *Eſaiæ*
1. 16. & 58. 6. *Ier.* 22 3. *Ezech.* 18. 6. *Oſ.* 6. 11. *Mic.* 6. 8. *Zac.* 7 9. & 8 16.
Eccleſ. 35. 12. *Matth.* 5. *v.* 24. 29. 39. *Luc.* 1. 75. & 3. 11. *Ioan.* 12. 26. *Rom.*
12. 1. &c. & 14. 17. *Philip* 3. 3. *Iac.* 1. 27. Bona opera glorificant Patrem
cœleitem, *Math.* 16. Bonis operibus teſtanda eſt vitæ nouitas 1. *Ioh.* 3.
7. Bonus & malus theſaurus, *Luc.* 6. 45. Bonitas Dei commemora-
tur, 2. *Pet.* 1 3.

¶ Profana Exempla.

Scythæ moderatiſſimi, & abſtinentes & ſuapte natura probi,
quod Romani ac Græci vix præceptis ac diſciplinis philoſo-
phorum, id natura ipſi conſequi potuerunt: plus enim his pro-
fuit ignoratio vitiorum, quam illis cognitio virtutis. *Bonfin. l. 2.*
Deca 1.

Apud Germanos plus boni mores valent: quam alibi bonæ leges.
Corn Tacit. de morib. German.

Quotquot nouere Socratem, qualis fuerit (*inquit Xenophon. l. 4.*
Memorabilium) ex iis qui virtutis cupidi ſunt, etiam nunc eum per-
petuo deſiderio exoptant: vt qui ad virtutis ſtudium vtiliſſimus fue-
rit. *Theat. Zuing.*

Xenocrates, cariſſimus Platoni magiſtro diſcipulus, ei fuit comes
in Siciliam tranſmittenti, hebeti ingenio, ſed ſeuero, ſanctisq; mori-
bus. Plato hunc calcaribus, Ariſtotelem condiſcipulum freno dice-
bat indigere. *L. Viues in l. 8. Aug de Ciuit. Dei c. 12.*

Theſeus, Athenienſium ciuitatem, quæ prius ſparſim & vicatim
habitabat, in vnum locum congregatam Græcarum vrbium am-
pliſſimam fecit. *Iſocr. in Helen.*

Cyrus Perſarum rex, non iuſtitiæ ſolum, ſed omnium etiam re-
giarum virtutum exemplum fuit, ſi modo Xenophontis Pædiæ ve-
ra eſt narratio. *Theat. Zuing.*

Ageſilaus Spartanorum rex, omni bellica vrbanaque virtute
Græcorum longe princeps ſua tempeſtate. *Sabell. l. 2. Enneadis 4.*

Philippum Alexandri genitorem, memoriæ prodidit Theophra-
ſtus non maieſtate modo cæteros reges: ſed fortuna quoque & in-
genii modeſtia antecelluiſſe. *Plut. in apoph.*

¶ Hieroglyphica.

Ægyptii Sacerdotes hominem ea modeſtia præditum, vt facile
eum queas à perperam factis auertere, ſi indicare vellent, *Tau-*
rum genu dextro alligatum pingebant. Hunc enim ſi dextro alliga-
ueris genu, manſuetum & vincula conſequentem inuenies. *Pier.*
Val lib. 3.

Roſæ ſimulachrum *Bonum* ſignificat, quod vndique circunſe-
ptum ſit malis: ac perinde voluptates noſtras amaritudinis & aſpe-
ritatis plenas. *Pier. Val. l. 55. p. 530. D.*

Fuerunt etiam qui ætatis florem, vel vnumquodque bonum,
quod celerrime deficere videretur, atque adeo humanæ ipſius
vitæ imbecillitatem per *decerptum Perſicum* & in lance poſitum,

non ineptum dicerent hieroglyphicum. Pomum enim nullum aliud fugacius, longiſſimaque decerpto bidui mora ſit, cogatque ſe quamprimum venundari. *Pier. Val. lib. 54. p. 526.*

¶ APOLOGI SEV FABVLAE.

Grus & pauo.

Pauo contra gruem aſſiſtens, explicatis pennis ſuis: Quanta eſt, inquit, formoſitas mea, & deformitas tua! At grus ſubuolans: Quanta eſt, inquit, leuitas mea & tua tarditas.

Monet fabula, non eſſe ob aliquod bonum naturale ſuperbiendum, neque contemnendum alterum cui fortaſſe multo maiora collata ſunt. *Ioach. Camer. l. fab. p. 208.*

Origo Murorum.

Ea tempeſtate, qua dii & homines vna promiſcueque in terris vixere, vt tradit Heſiodus, humanum genus defenſum & tutum ope præſidioque deorum, neque intra mœnia ſeſe includebat, neque aliam protectionem quærebat. Pulſis diis hominum ſcelere, muris & foſſis hi circumdati, nunquam tamen muniti ſatis eſſe potuere. Ita quantum boni à præſentibus diis accepiſſent recordati, mœnia ſancta de memoria deorum & nominarunt & haberi voluerunt, ac ritus inſuper ceremoniasque varias cultus diuini inſtituerunt: non tamen ita placatos reddere potuerunt, vt tam benignis vterentur quam antea vſi fuiſſent.

Fabula docet, quod ſine impenſa interdum bonum obtineatur, id amiſſum nullarum rerum impendio recuperari poſſe. *Ioach. Camer. lib. Fab. p. 283.*

¶ SCRIPTORES.

Aduerſus illos qui affirmant eorum Bonorum, quæ in altera vita expectamus, fruitionem, non niſi in cibo, ac potu fore: idque propterea, quod ſacris in literis proditum, initio mundi hominem rebus iisdem in paradiſo vitam ſuſtentaſſe, *leg. Greg. Nyſſ. de opific. hominis, c. 19. p. 197.*

Vide tit. Malitia, Virtus, Probitas, Vir bonus.

Breuiloquium. Breuitas.

¶ DEFINITIO: ET ETYMOL.

BReuiloquium, Græce βραχυλογία, ας, ἡ, & βραχυλόγος, ου, ὁ, ἡ, breuiloquens. Et oppoſitum eſt multiloquio.

Breuitas, quæ Græce βραχύτης, ητος, ἡ & βραχὺς έος, ὁ, breuis. Eſt autem breue proprie, quod longo opponitur. Hebraic. *Kotſer*, breuitas à verbo *Katſar*, decurtauit, abbreuiauit, demeſſuit cultro ſeu falce, abſcidit. Hinc ξυράω abſcindo, ξυρὶς gladiolus quo aliquid abſcinditur, ξυρὸς nouacula.

¶ POETICÆ SENTENTIÆ.

Horat. de arte Poetica.

Quicquid præcipies, eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Terent. in And.

Quin tu vno verbo dic, quid eſt quod me velis?

Auſonius in Paulino.

Et ſi enim comis breuitas: ſic fama renatum
Pythagoram docuiſſe refert, cum multa loquaces
Ambiguis ſererent verbis: contra omnia ſolum
Eſt, reſpondebat, vel non: ô certa loquendi
Regula. Nam breuius nihil eſt nec plenius iſtis,
Quæ firmata probant aut infirmata reclinant.

Ibidem.

Nemo ſilens placuit, multi breuitate loquendi.

Horat. de Art. poet.

Decipimur ſpecie recti: breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio. ſectantem leuia nerui
Deficiunt, animiq; profeſſus grandia turget.

Mich. Verinus.

Noſtra leges quiſquis fueris breuitatis amator,
Inuenies lepidos, ſed ſine felle iocos.

Euripides.

O pueri, iſtud ſapientis eſt viri paucis
Plurima poſſe verba bene complecti.

Menander.

Impudentes ſermones hoc ſolo iuuantur,
Si fiant breues & oportune proferantur.
Orationi breui multum ineſt ſapientiæ.

Martial. 2.

Non ſunt longa quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

¶ PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

In omni negotio nihil adeo proſpicere debes quam vt tutum ſecurumq; ſit, quod agis. Eſt autem tutius tacere, quam loqui. Ceterũ iis dicendis quæ mente & ratione carent, ſuperſedebis. Abſit quoq; nimietas in dicendo: & propriorum facinorum aut periculorum cõmemoratio. Non enim ſimiliter, vt ibi mentionem de tuis periculis facere, ſic & aliis, quæ tibi contigerunt, audire iucundum eſt. *Epictetus.*

Ne multis verbis pauca comprehendas: ſed paucis m[...] *ſerm. 33.*

¶ APOPHTHEGMATA.

Pædaretus Lacon, vir bonus, cum in numerum trecen[...] eſſet electus, abiit, fronte ſerena, Diis agẽs gratias hunc [...] Gratias habeo vobis dii, quod tot homines meliores [...] tati dediſtis. *Bruſ. l. 1. c. 18. ex Plut.*

Iamblichus, eum demum hominem bonum exiſtima[...] tabat, qui perfectiſſimam actionem iuxta mentem [...] conſeruat, & participationem intelligibilis pulchritudi[...] ac eſſentiæ potentiæque Dei particeps eſt. *Stob. ſerm.* [...]

Apollonius Tyanæus, quum in iudicium ad Domitian[...] ceretur, apud quem accuſatus fuerat, nec eſſet facile [...] elapſus: tantum vir bonus virtuti confidebat, vt cum [...] ſet, Quo duceret? Ac dicente illo, Ad iudicium: Contra [...] iecit) dicturus ſum? *Bruſ. l. 1. c. 18.*

Zeno Citticus, ad quendam dicentem, breues eſſe philo[...] ſententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & ſyllabas [...] fieri poſſit eſſe breues. Veritas multis verbis non eget: [...] nemus paucis verbis comprehenſa. *Laert. l. 1. c. 1.*

Epictetus. Philoſophiæ ſummam Epictetus duobus [...] prehendere ſolitus eſt: ἀνέχου καὶ ἀπέχου: id eſt, ſuſtine & a[...] rum prius admonet, vt mala quæ incurrunt æquo a[...] mus: poſterius, vt à voluptatibus temperemus. Ita enim [...] aduerſis deiiciamur, nec proſperis corrumpamus. *Re*[...] *cap. 19.*

Plato Antiſthenem, qui diſſerendo fuerat prolixior, [...] ignoras quod orationis modus ſit, non penes dicentem [...] audientem. *Laert. l. 3.*

Iſæus. Pythonis proditoris accuſationem Iſæus ſoph[...] dictis abſoluit: Coarguam Pythonem, inquit, proditionis [...] Deo reddito, populo qui vinxit, Philippo qui dimiſit. [...] Deus pronuntiaſſet oraculo niſi talis eſſet: nec populus [...] niſi talis fuiſſet: neque rex abiiſſet, niſi eum cuius gra[...] non reperiſſet, aut rex è caſtris illum non dimiſiſſet, *Phil*[...] *phiſtis.*

Phocion in concione ſedens ſeorſim, acceſſit quidam q[...] Videris cogitabundus, ô Phocion: Recte quidem coniecta[...] dit: Cogito enim, ſi quid queam detrahere his quæ dic[...] apud Athenienſ. Alii ſolliciti ſunt, vt quam plurima dicant [...] deantur eloquentes eſſe, atque diſerti. Illi diuerſa erat [...] rum vt quæ ad rem faciebant, verbis quam pauciſſimis [...] retur. *Plut. in apoph.*

Demoſthenes, de Phocione, quoties in concione [...] ſurgeret ad amicos proximos dicere ſolebat, rationem [...] curim ſurgere. Nam Phocion erat in dicendo breuis, ſed [...] lebat autem fere à Demoſthene diſſentire. *Plutarch. in* [...]*nes.*

Apollodorus, dicebat optimos homines ſin dicendo [...] eſſe: linguaces autem, ſi tantum moleſtiæ caperent, qua[...] afficiunt, haud ſane longos ſermones habituros eſſe. *Stob.* [...]

Epaminondas, in Spartanos, qui multa magnaque c[...] banis obiiciebant: Hi nimirum fecerunt, inquit, vt breui[...] vti deſtiteritis. Solebant Lacedæmonii de breuiloquentia [...] ſed à Thebanis multis affecti calamitatibus, multa dic[...] ſunt, de illis conquerentes. *Plut. in apoph.*

Archidamus cum irrupiſſet in Arcadiam audito quod [...] Elei ferrent auxilium, ſcripſit illis in hunc modum: Ar[...] Eleis, Quies bona. Non potuit breuius & ſuadere, quod [...] commodum: & minari malum, ſi quid perperam aggred[...] Decet hæc breuiloquentia & ducem, & Laconem. *Plut.*

Cleomenes, pirata quidam cum prædam per Lacedæmon[...] regionem feciſſet, captus, & interrogatus cur id feciſſet? Q[...] ait, deerat mihi vnde viuerem, & aliis quoque darem, ad [...] coactus ſum: qui haberent: quæ nec ſponte dabant, vi e[...] Cui Cleomenes ait: Compendioſa tibi ineſt malitia. E[...] deteſtabatur hominis improbitatem, & laudabat expedi[...] tionis breuitatem. *Plut. in Laert.*

Leo Eurycratidis F. cuidam de rebus haudquaquam [...] intempeſtiuè loquenti. O hoſpes, inquit, re opportuna non [...] tune vteris. Nihil oratione melius, ſi parce promas lingua[...] rum. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus, interroganti, quamobrẽ Lacedæmonii breuilo[...] vſurparent? Quoniam ſilentio eſt finitimum, inquit. *Stob.* [...] *Anton. in Meliſſa parte 1. ſerm. 71 Max. ſerm. 2*[...]

Lacedæmonij factis magis quam eloquentia polluerunt [...] breuiloquentia λακωνισμὸς, id eſt, Lacedæmoniorum ſeu Spar[...] rum ſermo, dicta eſt: quod Lacones ſeu Lacedæmonii in apophthe[...] gmatis præcipue valerent. Horum autem lepos in eo præcipue con[...] ſiſtit, vt pauciſſimis verbis plurimum ſententiæ compl[...] Cuiuſmodi ſunt illa αἴκα, id eſt. Sic, reſponſum prolixæ ora[...] gati: & οὐκ, id eſt, non, totam occupans epiſtolam & ἢ τὰν [...] id eſt, aut ſuper hunc. *Eraſm. in adag.* Plut. *in apoph.* *Vbi* [...] *extant breuiloquentiæ Laconicæ exempla, ad ſuos locos* [...] *pere relata.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN